



E i n l a d u n g

zur

öffentlichen Prüfung und feierlichen Entlassung

im hiesigen **Gymnasium**

am 26. und 27. Junius;

und zu

den öffentlichen Prüfungen

in der Domschule am 2. Julius,

in der zweiten Kreisschule am 3. Julius,

und in der russischen Kreisschule am 4. Julius.

Vorausgeschickt ist:

ALEX. THEOD. SVERDSIOEI

DE

VERBORUM *OYAAI* et *OYAOXYTAI* SIGNIFICATIONE

DISQUISITIO CRITICA.

K i g a,

gedruckt in der Müllerschen Buchdruckerei.

1834.

Der Druck ist gestattet.

Dorpat, den 12. Juni 1834.

Censur Friedr. Erdmann.

Et.



3273

ALEX. THEOD. SVERDIOEI

DE

VERBORUM ΟΥΛΑΙ et ΟΥΛΟΧΥΤΑΙ SIGNIFICATIONE

DISQUISITIO CRITICA.

Haud nostris demum temporibus ab hominibus doctis primum vocatum est in dubium, quae vera sit verborum ούλαι et ούλοχύται significatio, sed jam Homeri scholiastae de hac re inter se dissenserunt, quamvis plane diversa sit et recentiorum et veterum Homeri interpretum disceptatio. Levis quidem est et ridicula, quae a scholiastis nonnullis in medium profertur vocis ούλοχύται explicatio, tamen non prorsus omittendam duxi hanc dissensionem inter veteres Homeri interpretes, ne quid in hac commentatione scholastica, ad veram horum verborum significationem reperiendam conscripta, praetermissum videatur, quod ad historiam variarum explicationum, ut ita dicam, pertineat. — Fuerunt enim inter grammaticos, qui diversam vim inesse putarent in verbis ούλαι et ούλοχύται, quorum illud significare censebant hordeum sacrum, hoc vero canistrum hordeo sacro repletum. Cujus sententiae auctor APPIO videtur fuisse, uti ex APOLLONII lexico v. ούλοχύτας p. 515. Toll. apparet: ὁ μὲν Ἀπίων, τὰ μαζοβόλια· ἐν τούτοις γὰρ ἀνακέννται αἱ ούλαι. φαίνεται δὲ νοῶν τὰ ἀγγεῖα, ἐν οἷς αἱ κριθαὶ κέννται. ἴσως δὲ ταῦτά σημαίνει. ὅταν δὲ λέγη· *)

— — — — καὶ ούλοχύτας ἀνέλοντο, (Π. α. 449.)

σαφές, ὡς αὐτὰς τὰς κριθὰς σημαίνει, οἷον τὰς ὕλας γεομένας ἐπὶ τῶν σπονδῶν. APIONIS nomine non commemorato in reliquis quoque scholiis ejusdem differentiae horum verborum mentio facta est. Schol. in Iliad. α. 449. p. 36. BEKK. Ούλοχύτας: τινὲς τὰ κανᾶ, δι' ὧν ἐπέχρον τὰς ούλάς. Schol. AMBROS. ad Odys. γ. 441. p. 112. ΒΥΤΤΗ. ούλαι καὶ ούλοχύται τὸ

*) Sic scribit BEKKERUS. TOLLIIUS habet: ὅτ' ἂν δὲ λέγει. Ex conjectura ultima verba sic distinguenda esse censeo: ἴσως δὲ ταῦτα σημαίνει, ὅταν [δὲ] λέγη· — καὶ ούλ. ἀνέλοντο. — Σαφές, ὡς et rell. — Verba enim σαφές — σπονδῶν, margini adscripta, quibus APIONIS sententia refutaretur, postea in contextu posita sunt.

αὐτό. λέγονται δὲ τὰ προθύματα. ----- τινὲς δὲ οὐλοχύτας λέγουσι τὰ ἀγγεῖα, ἐν οἷς εἰσιν αἱ κριθαί, αἴτινες οὐλαὶ ἐκαλοῦντο. Cf. ead. ad Odys. δ. 761. p. 168. Moschor. ad Iliad. α. 449. Οὐλοχύτας ἔλεγον τὰ κανᾶ, δι' ὧν αἱ οὐλαὶ ἐχέοντο, οὐλαὶ δὲ εἰσιν αἱ κριθαί. Schol. ad APOLLON. Rh. α. 409. Tom. II. p. 35. et 370. SCHAEF. Οὐλοχύτας δὲ οἱ μὲν τὰ κανᾶ, ἐπεὶ δι' αὐτῶν φέρεται τὰ πρὸς θυσίαν, οἱ δὲ τὰς κριθὰς, ἐπειδὴ οὐλάς (BUTTM. conj. οὐλάς; suspicor αὐτάς.) ἐνέβαλλον τοῖς βωμοῖς. EUSTATH. ad Il. α. 449. p. 109, 46. Lps. δεῖ δὲ εἰδέναι, ὅτι τινὲς παντελῶς ἑτέραν τραπόμενοι οὐ θύματα ἢ προθύματα ἢ προβολὴν θυμάτων τοὺς οὐλοχύτας φασίν, ἀλλ' αὐτὰ τὰ κανᾶ, εἶπον τὰ ἀγγεῖα, δι' ὧν αἱ οὐλαὶ χέονται, οὐλάς νοοῦντες ἀπὸ μέρους, καθὰ καὶ ὁ Δίων ἔφρασε, τὸ μίγμα τὸ ἐκ κριθῆς καὶ ἀλῶν. HESYCH. s. v. εὐπλουτον κανοῖν: οὐλοχύτας, τὰ κανᾶ, ἃ οἱ Δωριεῖς ὀλβακίγια (fort. ὀλβάκιγια, quo verbo Syracusani usi sunt. Cf. Etym. magn. p. 257, 54.) *). Huc etiam pertinere videtur POLL. Onom. I. 33., ubi de instrumentis ad sacrificia facienda necessariis sermo est: τὰ γὰρ πεμπώβολα, καὶ οὐλοχύται, καὶ τὰ τοιαῦτα, ποιητικά. —

Quid de mira illa APIONIS, ni fallor, explicatione statuendum sit, cum ex Odys. δ. 761.

ἐν δ' ἔθετ' οὐλοχύτας κανέω, ἤρατο δ' Ἀθήνη·

luculenter appareat, eam memorasse sat est. Ceterum haud miraberis, DAMMIUM in lexic. Hom. s. h. v. sic explicandum censuisse verbum οὐλοχύται in duobus Iliadis versibus (α. 449. 458.), si reputaveris, eum in verborum significatione explicanda non suo iudicio uti, sed semper fere sequi scholiastas. Plerique vero illorum v. οὐλοχύται interpretati sunt tum sacrificii praeludium, quod victimae immolandae praemittebatur, tum ipsum hordeum sacrum. cf. EUSTATH. ad Il. α. 449. p. 109, 11. Lps. Quorum sententiam etiam lexicographi recentiores (cf. PASSOW. s. h. v.) propter Odys. γ. 445. οὐλοχύτας τε κατήρατο secuti sunt. — Alios autem, posteriorem tantummodo significationem veram habentes, per v. οὐλοχύται nusquam sacram hordei in victimae caput spargendi actionem, sed ubique ipsum hordeum sacrum intellexisse EUSTATH. ad Il. α. 449. p. 109, 38. testatur: Ἰστέον δὲ, ὅτι τοῦ ποιητοῦ οὐλοχύτας εἰπόντος τινὲς τῶν ὑστερον, ὧν ἐστὶ καὶ ὁ Ῥωμαῖος Δίων, οὐ συνθέτως οὐλοχύτας, οὐλάς δὲ μόνον φασίν. conf. IDEM ad Odys. γ. 442. p. 137, 29. et ad Odys. γ. 446. p. 138, 20.

Sed mittamus haec scholiastarum commenta, quae id tantum utilitatis habent, ut nos doceant, verbum οὐλοχύται, ab Homero atque a reliquis poetis ex Homeri imitatione usurpatum, ita evanuisse e quotidiani sermonis usu, ut etiam de vera vocis significatione ambigeretur, verbum οὐλαὶ vero, forma quidem mutata, servatum esse cum significatione haud incerta. Missis igitur his scholiastarum nugis, de quibus fortasse plus aequo jam dixi, novam a BUTTMANNO in Lexilog. I. p. 191—200. propositam verborum οὐλοχύται sive οὐλαὶ explicandorum rationem, quam multis hominibus doctis probavit, ea, qua par est, diligentia perpendamus.

*) Varias huius vocabuli formas commemorantur: ὀλακνον, ὀλάκιον, ὀλβακνον, ὀλβάκιον (ὀλβάκιον HESYCH.), ὀλεχον (Etym. magn.), ὀλεχθον (HESYCH.), οὐλοχόκιον, οὐλοχοεῖον, οὐληχόκιον (corrupt. ap. HESYCH. λήχοιον).

Omnibus hucusque comprobatum erat, hordeum, quo Graeci in sacrificiis uterentur, non molitum fuisse, ut sacrificandi ritus apud Romanos postulabat, sed granis hordei mola non fractis aram et victimam conspersas esse a sacrificantibus. Qui Graecorum sacrificandi ritus, testimoniis ipsorum veterum munitus, eo vel maxime confirmabatur, quod qui in veram sacrorum naturam et finem inquisiverunt, recte monuisse videntur, omnia sacra antiquissimis temporibus nihil aliud fuisse quam epulas diis ab hominibus paratas, in quibus optima quaeque eorum, quibus ipsi vescerentur, diis apponere soliti essent. Sacra vero cum illis temporibus jam orta esse verisimillimum sit, quibus homines, simplici naturae legi convenienter viventes, omni cultu et commodis vitae socialis carerent, probabile fit, quod supra monui, antiquissimis temporibus homines frumentum obtulisse diis crudum et fortasse tostum atque cum sale mixtum, sed non molitum, quali ipsi vesci solerent. Quam sententiam per se valde probabilem atque comprobata, ut dixi, summis philologis ante BUTTMANNUM, HEYONIO (Opusc. I. p. 368. sq.), VOSSIO (Animadvers. ad Virgil. Idyll. VIII. 82. et in Ephemer. litt. Jen. 1803. p. 324.), SCHNEIDERO (in lex. gr. s. vv. *οὐλᾱι* et *οὐλοχύται*), quibus addas WOLFIIUM in egregia disputatione de origine sacrorum (*Verm. Schriften, Halle 1802. p. 267. sqq.*)*, primus in controversiam vocavit BUTTMANNUS in Lexil. I. I., eamque nil esse nisi commentum grammaticorum ostendere studuit, quippe qui omnem diversitatem, quam inter Romanorum et Graecorum sacrificandi ritus exstitisse hucusque statuerint homines docti, finxissent atque ementiti essent, etymorum studio nimis indulgentes. Quae cum acute et subtiliter atque ex parte etiam multa cum verisimilitudine a BUTTMANNÓ disputata et illustrata sint, non est, quod miremur, multos viros eosque doctissimos (SCHNEIDER. in sec. lex. edit., PASSOW. in lex., et NITZSCH. in animadv. ad Hom. Odyss. T. I. p. 222.) ad sententiam ipsius accessisse. Quamvis haud infitior, me ipsum in multis singulis disputationis partibus BUTTMANNO libenter assentiri, non possum tamen, si summam totius quaestionis respicio, quin eum falsum esse censeam. Dubitationes igitur, quae mihi iterum atque iterum BUTTMANNI disputationem legenti motae sunt, ingenue in medium proferam, satis habens, aliis fortasse veri perscrutandi et inveniendi viam indicasse, si quid ipse erraverim.

Itaque veterum interpretum locos, in quibus mos hordei non moliti in aram atque in victimam projiciendi commemoratur, apponam, quantum potero, omnes, ut lectores omnia hujus moris testimonia uno quasi oculorum obtutu perspicere atque perillustrare possint. SUIDAS. *Οὐλοχυτεῖν*.**) *κριθὰς ἐπιχέειν τοῖς θύμασιν· οὐλὰς γὰρ ἔλεγον τὰς κριθὰς κατὰ ἀντίθεσιν τῶν ψαιστῶν, ἀπερ ἦν ἄλφιτα ὑπὸ τῆς μύλης κατεψημισμένα****). *τὰς γὰρ οὐλὰς πρόσθεν ἔκοπτον οὐδέπω τῆς κατεργασίας αὐτῶν εὐρημένης. καὶ τὰς μὲν*

*) Conf. etiam CULEMANNI Comment. de sacr. ap. Pop. Rom. solemn. spec. I. Gott. 1823. p. 1. sqq.

**) SCHNEID. in lex. s. h. v. corrigit *οὐλοχυτεῖν*. Sed solum verbum medium *οὐλοχυτεῖσθαι* usurpat. cf. PORPHYR. de abstin. II. 6.

***) *Κατεψημισμένα* habet SUID. s. v. *ψαιστά*. Utrumque corruptum. Correxerunt viri docti *κατεψηγημένα* vel *κατεψημένα*. cf. BUTTM. I. I. p. 192. n., qui *κατεψαιμισμένα* proponit. Mihi in mentem venit *κατεψιμισμένα*.

κριθάς μέχρι νῦν ὅλας χέουσιν οἱ ἐπιθίνοντες ταῖς σπονδαῖς, ἐπεὶ σύμβολον τῆς παλαιᾶς τροφῆς· τὰ δὲ πόπανα τῆς ἄρτι ὥρας, τουτέστι τῆς αὐθιγῆς. — Schol. in Hom. II. α. 449. οὐλοχύτας: - - - καὶ κριθαὶ δὲ πρὸς ἀντιδιαστολήν τῶν ψαιστῶν· ἀπαρχὴ δὲ τῆς προτέρως ζωῆς ἀπεδίδοντο τοῖς θεοῖς αἱ κριθαί.*) πρὸ τῶν πυρῶν γὰρ εὐρηγται, καὶ ἀπὸ τοῦ προκριθῆναι τῶν βαλάνων οὕτως ὠνομάσθησαν· κριθάς δὲ μετὰ ἄλων μεμιγμένας ἐπέχεον τοῖς ἱεροουργομένοις ζωοῖς πρὸ τοῦ θύεσθαι, ἦτοι πολυπληθείας χάριν, ἢ μνήμην ποιούμενοι τῆς ἀρχαίας βρώσεως· ὡς γὰρ φησι Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ εὐρημάτων, πρὶν ἢ μάθωσιν οἱ ἀνθρώποι ἀλείν τὸν Δημητριακὸν καρπὸν, οὕτω σώας αὐτὰς ἤσθιον**). ὄθεν οὐλὰς***) αὐτὰς φησιν ὁ ποιητής. EUSTATH. ad II. α. 449. p. 109, 13. Lps. οἱ οὐλοχύται οὐλαὶ ἦσαν, τουτέστι κριθαὶ μετὰ ἄλων, ἃς ἐπέχεον τοῖς βωμοῖς πρὸ τῆς ἱεροουργίας. Id. p. 109, 22. εἰς εὐχάριστον οὖν μνήμην τῆς παλαιᾶς βρώσεως αἱ οὐλαὶ προεβάλλοντο, αἵτινες τὴν ἀρχὴν ὄλαι, ἦτοι σῶαι ἤσθιοντο, πρὶν ἢ γενέσθαι τὰ τοῦ ἀλετοῦ. διὸ καὶ οὐλαὶ λέγονται κατὰ πρόσληψιν τοῦ ὕ, ὄλαι †) ἄλλως ὀφειλοῦσαο λέγεσθαι. ὄθεν καὶ, ὀπηνίκα μὴ παρήσαν οὐλαὶ, τουτέστι κριθαὶ, et tell. — Id. ad Odys. μ. 357. p. 29, 34. Lps. οὐλοχύτας. οὐς μὴ ἔχοντες ἀντὶ μὲν οὐλῶν, ὃ ἔστιν ἀκεραίων κριθῶν, ἐξ ὧν οἱ οὐλοχύται παρονομάζονται, φύλλοις χρῶνται δρυός, cf. Schol. min. ad II. β. 410. — Supra jam commemoravi Schol. ad Apoll. Rh. α. 409., Apoll. Lex. s. v. οὐλοχύτας.

Omnnes hi loci antiquissimum Graecorum usum hordei non moliti in sacrificiis testantur, quem ne quis etymo quoque confirmatum existimet, BUTTMANNUS in disputationis initio luculenter ostendit, etymon illud, quod grammatici sibi finxerint, omni Graecae linguae analogiae repugnare atque valde ineptum videri, si ipsam rem respicias. Qua in re nemo, opinor, erit, qui BUTTMANNO non assentiatur. Mihi quidem suam sententiam plane probavit vir doctissimus. Recte enim monet, verbum οὐλαί, cum semper exhibeatur oxytonon, barytonon esse debere: nullius enim nominis adjectivi accentum mutari, si omisso nomine substantivo adjectivum substantivi instar usurpetur: transposito igitur accentu, qui quidem analogiae adversetur, scribere debuisse grammaticos οὐλὰς, si οὐλος verum illius vocis etymon sit, quod haud dubie fecissent, ut suam sententiam probabilem redderent, neque verba diversae significationis, οὐλαί hordeum sacrum et οὐλαί cicatrices, confunderentur, nisi accentus verbi οὐλαί antiquitus fuisset acceptus atque confirmatus, quem ne illi quidem, etymo suo obsequentes, mutare ausi essent. ††)

Quae de Atticorum correptione vocis οὐλαί in γ. ὄλαι ad suam sententiam confirmandam addit BUTTMANNUS, minoris vel potius nullius momenti esse mihi videntur. Non infitior quidem,

*) Verba ἀπαρχή—κριθαί, quae apud BEKK. non leguntur, e schol. apud WASSENB. addidit BUTTM.

**) Etym. magn. p. 641, 31. πρὸ τοῦ γὰρ εὐρεθῆναι τὸν Δημητριακὸν σίτον ὀλοκλήρους τὰς κριθάς ἤσθιον.

***) Sic BUTTM. e schol. min. et Leid. ap. WASSENB. — οὐλὰς etiam ap. ZONAR. lex. T. II. p. 1482. TITTM. — Etym. magn. et schol. ap. BEKKER. ὄλας.

†) Sic BUTTM. ex ed. Basil. — In ed. Lips. legitur ὄλαι.

††) Fuisse tamen, qui propter etymon scriberent οὐλαί, ex Etym. magn. p. 641, 34. et p. 640, 48. colligi potest.

spiritum lenem Atticae formae *ὄλαι*, si eam ex ipsa nominis adjectivi forma, quae sola apud Atticos in usu fuit, ortam esse cum BUTTMANNO sumamus, analogia nequaquam defendi posse.*) Sed in hoc virum doctissimum errasse arbitror, quod ille secundum grammaticorum sententiam ab ipso adiectivo *ὄλος* vocem *ὄλαι* derivandam esse censet. Mihi quidem persuasum est, Atticos cum sacrificandi ritu nomen etiam hordei sacri (*οὔλαι*) ab Ionibus accepisse, quod posterioribus temporibus in sermone vulgari eodem modo in v. *ὄλαι* mutaverint, quo *ὄνομα* in *ὄνομα*, *ὄρος* in *ὄρος*, *ὄρος* in *ὄρος* et simm.

Argumento, e falsa accentus positione ducto, BUTTMANNUS alterum addit idque gravissimum, non e certis quibusdam linguae legibus, sed ex ipsa rei ratione diligentius considerata depromptum, quo quam ineptum sit grammaticorum etymon luce clarius apparet. Cum enim verisimillimum sit, verba *οὔλαι* et *οὔλοχῦται* simul cum ipsa re, quam indicent, antiquissimis jam temporibus orta esse, mirum profecto est, qui factum sit, ut ante molas inventas frumentum nomine insignitum sit, quo a farina discerneret. Quod cum illo demum tempore fieri potuisset, quo frumenti non moliti usus rarior jam esset, facile apparet, grammaticorum sententiam, verborum *οὔλαι* et *οὔλοχῦται* significationem ipso etymo *ὄλος* confirmari, esse falsam, ne dicam ridiculam. Ceterum verbo monendum est, non omnes grammaticos falsum hoc etymon comprobasse, sed jam ab HERODIANO verum etymon esse indicatum. Qua de re infra loquar.

Grammaticorum igitur etymo recte refutato, BUTTMANNUS in illud inquirat, quodnam verbum radix fuerit, unde secundum certas Graecae linguae leges verbum *οὔλαι* ortum esse probabile sit. Ita tamen hanc disquisitionem instituit, ut ipsius rei, quae ab antiquitate nobis tradita atque certis veterum scriptorum testimoniis confirmata sit, nullam habeat rationem. Quam viam et rationem num recte tentaverit, valde dubito. Sed ipsum audiamus. Ex analogia verborum *μία* - *ῖα*, Mars - *Ἄρης*, mas, maris - *ἄρῆν*, *μάλη* - ala, *μασχάλη* - axilla, *μόσχος* (ramulus) - *ὄσχος*, *μάλευρον* - *ἄλευρον* apparere censet, Graecorum *οὔλας*, *ὄλας* et Romanorum *molam* eadem verba esse, eandemque habere significationem; firmioremque eo reddi hanc sententiam, quod eodem modo v. *ὄλή* derivetur a v. *ἔλω*, *ἄλέω* secundum analogiam verborum *μονή* - *μένω*, *τροπή* - *τρέπω*, *τράπω*, *τομή* - *τέμνω*, *τάμνω*, *βολή* - *βάλλω*, quo v. *mola* a verbo molendi; v. *ἄλέω* nihil aliud esse quam *ἔλω*, mutata litera vocali, primitivamque huius verbi significationem ferendi vel contundendi inveniri apud Homerum Od. ε. 132. *νῆα κεραννῶ Ζεὺς ἔλασας ἐκέασσε*; ferendi, contundendi et frangendi notio cum primaria sit in molendi actu, vel iis saltem temporibus fuerit, quibus frumentum nondum conteri vel moli vel potius contundi soleret, BUTTMANNUS arbitratr non in dubium vocandum esse, quin *οὔλαι* significant grana contusa sive molam Romanorum.

Illis vocabulis, quibus BUTTMANNUS ostendit literam $\bar{\mu}$ in iisdem vocibus nonnunquam abjectam vel potius extritam esse, ut ita dicam, haec addo: *μονθυλεύω* - *ὄνθυλεύω* (cf. LOBECK. ad Phryn. p. 356.), *μοῦνος* - unus, *μαράσσω* - *ἀράσσω*, *ΜΑΠΩ* - *ἈΠΩ* (cf. PASSOW. s. v. *μάραπτω* **). Conferatur etiam EUSTATH. ad Il. β. 103. p. 148, 16. Lps. *πλεονάζειν γάρ*

*) In PHOTII glossario legitur *ὄλαγμαίνειν*, *ὄλας βάλλειν*. ALBERTIUS e ms. restituit *ὄλαγμαίνειν*. Etiam *ὄλας* in *ὄλας* mutandum est.

***) Varia lectio *molitor* et *olitor*, quam ad Plauti Milit. glor. II. 2. 38. inveniri PAREUS in lex.

φασι πολλαχοῦ τὸ μ, ὡς περ καὶ ἐν τῷ μοχλὸς ἀπὸ τοῦ ὀχλῶ, καὶ ἀπὸ τοῦ εἶρω, εἶραξ καὶ μεῖραξ. — Hujus vero analogiae paulisper rationem non habemus, sed ad illud potius animum attendamus, quod quilibet BUTTMANNO facile concedet, v. ὀλαί esse substantivum verbale, a v. ἘΛΩ, cujus variae formae apud Homerum leguntur, non vero a v. ἀλέω formatum. Idem jam HERODIANUS, dissidens a ceteris grammaticis, fecerat, ut supra monui. cf. Zonar. Lex. Tom. II. p. 1480. ΤΙΤΤΜ. οὐλή. ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς, παρὰ τὸ εἰλῶ, τὸ συστρέφω, γίνεται οὐλή. παρὰ τὸ ἔλω, ὀλή καὶ οὐλή. Quo etymo admisso, analogia, a vocabulis τρέπω - τροπή simm. sumpta, optima est. — Jam vero exempla reputanti, in quibus litera μ extrita est, facile quidem opinio subvenire potuit, haud disparem esse rationem vocc. οὐλαί et mola. Quam si accuratius consideraveris, plane diversam eam esse statim apparebit. Substantivi οὐλαί enim origo a verbo, quod proprie vocant grammatici, repetenda est; contra vero a subst. mola derivatur verbum molendi. Quae dubitatio, diversa verborum ratione mota, valde augetur, si haec reputamus. Apud Homerum enim (Od. η. 104. v. 106. 111.) legitur vocabulum μύλη cum derivatis μύλαξ (Il. μ. 161.), μυλοειδής (Il. η. 270.), μυλήφατος (Od. β. 355.), quod quavis ratione Romanorum molae respondet. Si formas horum vocabulorum respicias, facile concedes, eandem esse verborum μύλη et mola rationem atque vocum στόμα, στόμα et stomachus. cf. BUTTM. Gr. Gr. ampl. p. 100. n. 13. SCHAEF. Ind. ad Greg. Cor. s. lit. v. FRANKII Inscr. p. 240. 256. 284. — Porro derivatur a nomine substantivo μύλη verbum μύλλειν, sicut a subst. mola verbum molendi. Etiam in variis significationibus haec vocabula inter se accurate congruunt. Apud Homerum quidem v. μύλη solam significationem primitivam molae, pistrini habet; derivatam vero ei non desse apud scriptores post Homerum lexica docent. *) Significationis similiter derivatae analogiam praebet v. ἰστός apud Homerum, quod aut lignum, e quo tela suspenditur, (Il. ζ. 491.), aut ipsam telam (Od. β. 104.) significat. **)

Simplex haec vv. mola et molere comparatio cum Graecorum vocabulis μύλη et μύλλειν, conjuncta cum analogia non satis accurata, quam inter vv. ἘΛΩ, ὀλαί et molere, mola esse BUTTMANNUS arbitratus est, admodum incertam reddere debet sententiam de eadem horum vocabulorum vi. Vanam v̄ero falsamque eam esse extra omnem dubitationem ponunt grammatici aliique scriptores, qui una fere voce et assensu usum hordei non moliti in Graecorum sacrificiis testantur, quorum narrationem hujus moris suspectam quidem reddere studet BUTTMANNUS, quasi solummodo propter falsum etymon ab ipsis ficta sit. Quod quo jure fecerit vir doctissimus, infra videbimus. Nunc ad etymon v. οὐλαί redeam, quod e Graecae linguae legibus ab ipso verbo ἘΛΩ derivandum esse dixi. Tota igitur disquisitio pendet a vera hujus verbi significatione, quam certo definire difficillimum esse nemo negabit, qui egregiam BUTTMANNI disputationem in

crit. testatur, huc non pertinet. cf. GESN. Thes. s. v. molitor. Neque huc referenda sunt verba meo et eo.

- *) GOTHOFREDUS ad Paul. Diac. excerpta s. v. mola. p. 498. Lind.: „Glossis molae salsae μύλαι πεφρογγυμέναι.” — Fortasse οὐλαί legendum est. cf. HESYCH. s. v. οὐλοχύτας.
- **) Plura ejusmodi inveniuntur apud Graecos et Romanos scriptores. cf. LOBECK. ad Phryn. p. 187., interpp. ad Soph. O. C. 481. Fortasse huc etiam pertinet Soph. O. C. 472. τέχνη, opus arte factum, de quo v. cf. SCHAEF. ad Long. p. 362.

Lexil. T. II. p. 141 — 159. attente perlegerit, cujus summam*) si respicio, non possum, quin ingenue profitear, me prorsus ad BUTTMANNI sententiam accedere, qui minime significationem verendi, quam grammatici statuunt, sed premendi, urgendi notionem primitivam fuisse censet.**)

Quam primitivam notionem ad explicandam v. *ὄλαι* significationem, hoc modo adhibet BUTTMANNUS. E notionem urgendi, inquit, sine magna sensus immutatione notio feriendi orta est, nisi forte etiam primitiva fuerit (hoc non recte statuisse BUTTMANNUM infra docebo); sunt igitur *ὄλαι* grana molita sive mola Romanorum. Haec BUTTMANNUS. Rem ita se habere posse, non equidem infitior, si ipsa rei ratio, a scriptoribus veteribus commemorata, hanc significationis explicationem poscat atque confirmet, quam quidem necessario ita constituendam esse nego. Imo mihi persuasum est, sententiam prorsus contrariam reddi posse probabilem, ita ut, quem tota antiquitas testetur hordei non moliti usum in sacrificiis, idem ipsa origine voc. *ὄλαι* stabiliatur. Singulis enim Homeri locis, ubi variae formae v. *ἘΛΩ* (BUTTM. I. I. p. 141. 1.) leguntur, collatis, BUTTMANNUS certissime demonstravit, varias harum formarum significationes revocandas esse ad primariam notionem urgendi, etiam in iis locis, ubi eae formae significationem coarctandi et includendi habeant (BUTTM. I. I. p. 142. 2.). Uno solummodo loco (Od. ε. 132.; idem versus legitur etiam Od. η. 250.) feriendi notionem huic verbo omnino tribuendam esse idem monet, quo inductus, hanc feriendi notionem etiam primariam significationem verbi *ἘΛΩ* fuisse sibi persuadet. Qua in re vir doctissimus longius progressus esse videtur, ut WEXIUS quoque ad Soph. Ant. 341. (T. II. p. 131. n.) censet.**) Sed ipsum Homeri locum accuratius consideremus, quem e recensione WOLFFII apponam:

νῆα θοὴν ἀργῆτι κεραννῶ

Ζεὺς ἔλσας ἐκέασσε μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

Zenodotum pro v. *ἔλσας* posuisse v. *ἐλάσας* e schol. HARLEJ. (Schol. AMBR. ed. BUTTM. p. 188. sq.) novimus: *Ζηνόδοτος, ἐλάσας, γράφει. οἱ δὲ, ἔλσας ποιητικώτερον γάρ. ἔλσας μὲν τὸ συστρέφας, ἐλάσας δὲ τὸ ἐκ χειρὸς πλήξας.* Jure miratur BUTTMANNUS, qui factum sit, ut v. *ἔλσας*, a quo in reliquis locis omnibus haec feriendi significatio sit aliena, metro omnino non cogente usurpatum sit pro voc. *ἐλάσας*, quod proprium verbum apud Homerum sit, quo notio feriendi significetur; cf. qui nuper de h. v. disputavit LEHRS. de Aristarchi stud. Hom. p. 77. sq. — Sed hoc quoque loco significationem feriendi, quam BUTTMANNUS necessariam habet, verbo *ἔλσας* non tribuendam esse arbitror, cum sic potius hunc versum explicandum censeam: Jupiter navem vi et concussu fulminis „detrusit in undas”, ut Virgilii (Aen. VII. 773.) verbis utar. E Zenodoti vero lectione apparet, jam ipsius temporibus ignotam fuisse vim primitivam, alteram vero in orbem agendi significationem, a scholiastis commemoratam, quam PASSOWIUS s. h. v. recepit, fortasse post Zenodotum huic verbo tributam esse.

Quae si recte disputata sint, jam licebit progredi ad meam voc. *ὄλαι* explicandi rationem.

*) Etiam Soph. Antig. 341. notionem urgendi in vocabulo *εἰλομένων* inesse arbitror. Arvo enim imprimi solet ab aratore vomer, quo altior fiat sulcus.

**) Cum radice *FEA* — (BUTTM. I. I. p. 166.) cohaerent, ni fallor, etiam Germanorum vocabula *Welle* et *wallen*.

**) Vellem, inquit WEXIUS, Buttmannus non admiscuisset primitivae significationi feriendi notionem, quae ipsa mihi videtur derivata aliqua, nimirum quia in urgendo et compellendo feriendi actio accedere solet.

Substantivum *ὄλαι* enim significat grana hordei premendo liberata spicis. Notissimum est, antiquissimis temporibus grana ex aristis boum pedibus extrita esse, quem morem Homerus copiosius describit in Iliad. v. 495.: *ὡς δ' ὅτε τις ζεύξη βόας ἄρσενας εὐρυμετώπου*

τριβέμεναι κρὶ λευκὸν ἐνκτιμένη ἐν ἄλωῃ

ῥίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ' ῥοιμύκων.

Ut substantivum verbale *ὄλαι* (grana extrita) a verbo, quod generalem notionem urgendi habet, derivatum est, ita etiam, mutata tantummodo litera vocali, verbum, quod proprie vocant grammatici, formatum est, cui significatio illa primaria cum certa relatione ad frumentum tribuebatur, *ἀλέω* (exterere frumentum, triturare)*). Posterioribus vero temporibus cum frumentum contunderetur, ita ut farina crassior inde fieret, propter similitudinem actionis (cf. BUTTM. l. l. I. p. 195. 4.) idem verbum adhibitum est, adjecta praepositione *κατά*, qua notio frumenti *in partes minutas* mutandi sive comminuendi significaretur. Cf. PASSOW. s. v. *κατά*. IV. 4. — Sic apud Homerum Od. v. 109. *ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσαν*. — Progressu autem temporis etiam verbum simplex *ἀλεῖν*, omissa praepositione, eadem cum significatione, qua verbum compositum, usurpatum esse cum e locis scriptorum post Homerum, tum ex ipso Homero apparet, apud quem (Od. v. 108.) v. *ἀλείατα* legitur cum significatione farinae. Cum igitur magis magisque v. *ἀλεῖν* significationem frumenti comminuendi obtineret, atque primitiva significatio frumenti e spicis exterendi e quotidiano loquendi usu evanesceret, a verbo *ἀλέω* formatum est v. *ἀλοάω*, quod primariam verbi *ἀλεῖν* significationem accepit. Homerus quidem v. *ἀλοάω* non usurpat, quod casu et fortuito factum esse videtur, cum v. *ἀλωή* apud eum saepius (Il. ε. 499. v. 588. v. 496.) inveniat. **)

Haec mea sententia, quae sola horum verborum derivatione nititur, eo praecipue confirmatur, quod grammatici alique scriptores, ut supra jam monui, hordeo non molito in sacrificiis Graecos usos esse testantur, quorum narrationem BUTTMANNUS quidem in suspicionem adducere studet. Haec vero suspicio cum sola conjectura nitatur, quam BUTTMANNUS de eadem vv. *ὄλαι* et *mola* vi fecit, eo jam corrui, quod conjecturam illam speciosiore quam veriore esse demonstravi. Etiam nulla habita ratione originis, opinio illa viri doctissimi non multum probabilitatis habet. Etiam si suspicari liceat, nonnullos grammaticos propter falsum etymon, ab ipsis excogitatum, totam rem finxisse, tamen haud negligendum est, jam ab Herodiano veram hujus vocabuli derivationem proditam esse. Huc illud etiam accedit, quod narrationi illi nemo unus oblocutus est, quod sine dubio factum esset, nisi res ipsa sermone hominum posteris memoriae tradita esset, atque usus hordei non moliti in sacrificiis posterioribus etiam temporibus apud Graecos mansisset. Neque omnes scholiastae falsae derivationis mentionem faciunt, sed plures grammatici, etymon istud aut repudiantes aut ignorantes, v. *ὄλαι* recte explicant. cf. SUID. *ὄλαι* καὶ *ὄλαι*, αἱ μεθ' ἄλων μεμιγμένα κριθαὶ καὶ τοῖς θύμασιν ἐπιβαλλόμενα. MOSCHOR. ad Il. α. 449., cujus verba supra p. 2. allegavi. Schol. min. ad Od. γ. 442. *ὄλας, ἐλαιοβρόχους κριθάς*. Schol. Ambr. ad Od. δ. 761. *Ἀντὶ βώμου καθιέρωσε τῷ κανέω τὰς κριθάς*. HESYCH. *ὄλαι, κριθαί, ἀπαρχαί. ὄλας, κριθάς. Οὐλοχύτας - - - κριθάς πεφρυγμένας*. — Ceterum alii iique fortasse graviores hujus rei auctores supersunt, Theophrastus et Dionysius

*) cf. POLL. ONOM. VII. 180. *ἀλεῖν τοὺς πυροὺς, ἐπιτρίβειν, τρίβειν, λαίνειν, ἐρείκειν*.

**) De altera v. *ἀλωή* significatione agri bene consiti et praeparati cf. LEHRS. I. l. p. 153.

Halicarnassensis, quorum priorem (v. supra p. 4. schol. ad II. a. 449.) nihil aliud testari monet BUTTMANNUS, quam homines ante molas inventas frumentum edisse non molitum; verba vero ὄθεν οὐλὰς αὐτὰς φησὶν ὁ ποιητῆς a grammatico quodam adjecta esse. Quamvis hoc BUTTMANNO libenter concedam, tamen de altero ejusdem THEOPHRASTI testimonio, a PORPHYRIO (de abstīn. II. 6.) servato, non recte disseruisse videtur. PORPHYRII verba haec sunt: Τοῦ δὲ Δημητρίου καρποῦ μετὰ τὸν (fort. τὰ, cf. PASSOW. s. h. v.) χέδροπα πρώτου φανέντος κριθῶν, ταύταις ἀπ' ἀρχῆς μὲν οὐλοχυτεῖτο κατὰ τὰς πρώτας θυσίας τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος. ὕστερον δὲ ἐρειξαμένων τε αὐτὰς καὶ τὴν τροφήν ψαισαμένων - - - τοῦ δὲ ἀλληλεσμένου βίου παρὰ τὸν πρόσθεν μακαρισθέντος, ἀπήραξαντὸ τε τῆς ψαισθείσης τροφῆς πρώτου εἰς πῦρ τοῖς θεοῖς. ὄθεν ἔτι καὶ νῦν πρὸς τῷ τέλει τῶν θυηλῶν τοῖς ψαισθεῖσι θυλήμασι χρώμεθα. Quamvis THEOPHRASTUS non disertis quidem verbis hujus rei auctor commemoratur, tamen haec omnia e THEOPHRASTI sententia se explicasse atque enarrasse ipse PORPHYRIUS profitetur, qui postquam inde a paragrapho primo usque ad tricesimum secundum docuit, animalia non immolanda esse, totam disputationem his verbis finit: τὰ μὲν δὴ κεφάλαια τοῦ μὴ δεῖν θῦειν ζῶα, χωρὶς τῶν ἐμβεβλημένων μύθων, ὀλίγων τε ὑφ' ἡμῶν προσκειμένων καὶ συντεμημένων, ἐστὶ τῶν Θεοφράστου ταῦτα. Praesertim in paragr. quinto et sexto, in quibus PORPHYRIUS exponit, antiquitus homines herbae virentis primitiis sacra fecisse, THEOPHRASTUM secutus est PORPHYRIUS, ut e paragr. vicesimo apparet: Διὰ πολλῶν δὲ ὁ Θεοφράστος τῶν παρ' ἐκάστοις πατριῶν ἐπιδείξας, ὅτι τὸ παλαιὸν τῶν θυσιῶν διὰ τῶν καρπῶν ἦν, ἔτ' εἰπὼν πρότερον περὶ τῆς πόας λαμβανομένης, καὶ τὰ τῶν σπονδῶν ἐξηγεῖται τοῦτον τὸν τρόπον. Quae cum ita sint, THEOPHRASTI etiam auctoritate hordei non moliti in sacrificiis usum confirmatum videmus.

Quod ad DIONYSIUM Halicarnassensem attinet, hunc potissimum antiquitatum Romanarum scriptorem BUTTMANNUS suae sententiae favere affirmat, quippe qui, si quis alius, discriminis mentionem facere debuisset, si re vera ejusmodi discrimen inter sacros ritus Romanorum et Graecorum exstitisset; cum vero idem (VII. 72.) ne in minimis quidem rebus horum populorum sacrificia inter se differre demonstraret, totum discrimen, quod intercessisse putaverint homines docti inter Romanorum et Graecorum sacrificandi morem, ortum esse monet BUTTMANNUS e Servii ad Virg. Eclog. VIII. 82. nimis verbosa descriptione, quomodo apud Romanos ad sacrificium faciendum far tostum, molitum et cum sale commixtum sit a Vestalibus, comparata cum scholiastarum Homeri narratione de usu hordei non moliti, a Graccis servato. Sed loco, quem e Dionysio Halicarnassensi BUTTMANNUS commemoravit, diligentius perlecto atque considerato, tantum abest, ut inde aliquid probabilitatis opinioni BUTTMANNI accedat, ut Dionysium discrimen illud cognitum habuisse idque tacite innuisse probabile fiat. Hoc ipso enim loco, de quo disserimus, Dionysius id imprimis agit, ut ostendat, easdem esse caeremonias, quas Romani et Graeci in sacrificiis observaverint *), ideoque diligenter evitare studet, quaecunque discriminis alicujus suspicionem movere possint. Qua in re falsus esse fortasse nonnullis videar, si meam sententiam com-

*) Quod ne temere dixisse videar, ipsius verba apponam: τρόπος ὁ αὐτὸς ἦν τῷ παρ' ἡμῶν, et deinde: ἐκάστον δ' ὅτι κατὰ νόμους ἐγένετο τοὺς ἀμφὶ θυσίαν ὑφ' Ἑλλήνων κατασταθέντας, ἐκ τῆς Ὀμήρου ποιήσεως γινῶναι ῥάδιον.

paraverint cum BUTTMANNI verbis (l. l. p. 197.), qui Dionysium hoc loco far Romanorum Graecorum hordeo disertis verbis opposuisse narrat, utpote res, quibus horum populorum sacri ritus manifesto inter se differant. Attamen hoc quidem loco DIONYSIUS ne verbo quidem hujus discriminis mentionem facit. Ex nimio igitur studio, quo DIONYSIUS ne minimum quidem discrimen inter Graecos et Romanos sacrificandi ritus intercessisse affirmat, facile apparet, cur molam salsam Romanorum, quam cum *οὔλαις* apud Homerum comparat, exquisitiore vocabulo (*Δήμητρος καρπούς ἐπιρρόγαντες*) significaverit. Eorum quidem, quae BUTTMANNUS addit, DIONYSIUM verbo *οὔλαι* uti non debuisset, si discrimen illud cognitum quidem habuisset, idque, cum minoris momenti esset, attingere noluisse, causam satis idoneam equidem non perspicio, ut ingenue dicam. Quin imo ex mea quidem sententia hoc certe loco ne evitare quidem potuit verbum *οὔλαι*, quia in Homeri versu, quem mox DIONYSIUS ad suam sententiam comprobendam affert, verbum *οὔλοχῦται* legitur. Ceterum tota haec controversia alio DIONYSII loco (II. 25.) fortasse dirimitur: *ἐκάλουν δὲ, αἶτ Διονύσιος, τοὺς ἱεροὺς οἱ παλαιοὶ γάμους, Ῥωμαϊκῇ προσηγορίᾳ περιλαμβάνοντες, Φαρόρακια, ἐπὶ τῆς κοινωνίας τοῦ φαρόδος, ὃ καλοῦμεν ἡμεῖς ζῆαν. καὶ ὡσπερ Ἕλληνες, τὸν κριθινὸν καρπὸν ἀρχαιότατον ὑπολαμβάνοντες, ἐπὶ τῶν θυσιῶν καταρχόμεθα, οὔλας αὐτὰς καλοῦντες, οὕτω Ῥωμαῖοι τιμιώτατόν τε καρπὸν καὶ ἀρχαιότατον εἶναι νομίζοντες τὰς ζῆας, διὰ τούτων ἀπάσης ἐμπύρου θυσίας κατάρχονται.*

Restat adhuc locus ARISTOPHANIS (Equit. 1174. sq. Inv.), quem BUTTMANNUS in disceptationem vocat:

*ἰδοὺ φέρω σοι τήνδε μαζίσκην ἐγὼ,
ἐκ τῶν ὀλῶν τῶν ἐκ Πύλου μεμαγμένην.*

Cleonis, demagogi, haec verba sunt, *Δήμω* panem ex hordeo sacro coctum offerentis. Quomodo BUTTMANNUS ex hoc loco colligere potuerit, apud Atticos v. *ὀλαι* significasse hordeum crassius molitum, equidem non intelligo. Si quis nostratium dixerit: *ein Brod aus Pylischem Korn gebacken*, quis, quaeso, inde concludat, v. *Korn* idem esse atque v. *geschrotenes Mehl*. Cleo enim ab Aristophane in scenam producitur tanquam homo, qui populum placare studet vilissimo pane, e granis, quae in sacrificando in solum procliderint, cocto, vel frustis, quibus *ὀλαιτος* contentus esse solet. Quomodo vero grana hordei sacri e solo collecta tractanda fuerint, ut panis hordeaceus ex iis coqui potuerit, hoc, inquam nullo numero est. Neque opus erit pluribus refellere BUTTMANNI explicationem verborum SUIDAE (cf. p. 3. sq.), qui disertis verbis integra hordei grana suis etiam temporibus in sacrificiis usurpata esse refert. Quis enim unquam, hordeum crassius molitum cum farina comparans, illud pro granis integris habere atque adeo grana integra hordei nominare potest? Quod ad SUIDAE verba attinet, haud improbabile videtur, totum illum locum ab antiquiore quodam auctore profectum atque ad verbum a SUIDA transscriptum esse.

Quam tot testimoniis commotus vocabulo *οὔλαι* sive *ὀλαι* vindicare conatus sum granorum hordei integrorum significationem, quodammodo confirmat etiam v. *ὀλαιτός* sive *ὀλαιτος*, a v. *ὀλαι* derivatum. Etym. magn. p. 622. 9. *᾽ὀλαιτος καὶ ὀλαιμεύς, ὃ σπερμολόγος, παρὰ τὰς ὀλάς· ὃ τὰς ὀλάς βάλλον.* ᾽Ὀρος ὃ Μιλήσιος.*) HESYCH. *᾽ὀλαιτοί, σπερμολόγοι· καὶ ὀλατοί.*

*) Locus sine dubio corruptus. Verbis enim *ὃ τὰς ὀλάς βάλλον* explicatur solum voc. *ὀλαιμεύς*, quod mutandum esse suspicor in *ὀλαιμεύς*. cf. HESYCH. *ὀλαιμεύς, ὃ τὰς ὀλάς βάλλον*, et PHOT. Onom. *ὀλαγμεύειν* (ALBERT. corr. e ms. *ὀλαιμεύειν*), *ὀλας* (corr. *ὀλάς*)

Attamen ne quid dissimulem, quod meae sententiae repugnare videatur, dicendum est de scholio corrupto apud HESYCHIUM: Ἐπιτελάνας, ὄλαι, πόπανα, quod cum alio scholio apud eundem: Ἐμπέλανα, πόπανα, comparatum BUTTMANNUS recte quidem, ni fallor, corrigit: Ἐπιτέλανα, αἱ ὄλαι, καὶ πόπανα, perperam vero idem statuit, v. ὄλαι liba quoque significasse, quae hostiae imponerentur. Nam cum v. πέλανος (cf. SCHNEID. lex. s. h. v.) tum frumentum, quo in sacrificiis usi sunt Graeci, significaret, tum libum, verisimile est, etiam v. ἐπιτέλανα utramque significationem habuisse, ideoque ab HESYCHIO verba αἱ ὄλαι, καὶ πόπανα addita esse.

Omnibus argumentis, quae a BUTTMANNO ad suam sententiam stabiliendam in medium prolata sunt, ea diligentia, quam summi viri auctoritas poscit, examinatis atque accuratius expensis, eo jam perveni, ut summam disputationis breviter repetam.

Ὀύλαι, ὄλαι igitur, substantiva verbalia, a v. ἘΛΩ, quod urgendi notionem habet primariam, derivata, proprie significant grana frumenti e spicis extrita. Cum vero hordeum fuerit frumenti genus, quo omnium primo Graecos ad victum usos esse tota antiquitas testatur, integra hordei grana sic denominata sunt. Similiter etiam apud Germanos frumenti genus, quod praeter ceteris frumenti generibus ad victum usurpatur (secale dico), granum nominatur. Hordei vero planta proprie vocata est χοιθή, χοῖ, propter hirsutam aristae conditionem, uti verissime monet BUTTMANNUS (l. l. p. 198. not.), qui v. hordeum cum v. horrere, et v. χοῖ cum vv. κοῦος et ἀκοιόεις recte comparat. Postea vero denominatio, quae plantae propria fuit, in fructum etiam translata est, ita ut χοιθή, χοῖ plantam, et χοιθαί grana hordei significarent, verbum ούλαι vero e vulgari loquendi usu evanesceret, et in sacrificiis tantummodo usurparetur, cum sacrorum rituum rationes atque denominationes rarissime, nec nisi post longum temporis spatium mutari solerent. Ut igitur antiqui victus memoria conservaretur, posterioribus etiam temporibus in sacrificiis integra hordei grana usurpata sunt, quae tosta atque cum sale commixta fuisse vel maxime probabile est cum propter ipsam rei rationem, tum propter narrationem scholiastarum (cf. WOLF. l. l. p. 267. sq.), et fortasse colligi licet ex Homeri loco Od. μ. 356.

τὰς δὲ (βοῦς) περιστήσαντο καὶ εὐχετόωντο θεοῖσιν,
φύλλα δρεψάμενοι τέρενα δρυὸς ὑψικόμοιο·
οὐ γὰρ ἔχον χοῖ λευκὸν ἐυσσέλμου ἐπὶ νηός.

Hordei enim aristas non habuerunt Ulixis socii, e quibus extererent grana, quaeque torrerent et cum sale commiscerent, ut ούλαι fierent. Non aliarum autem arborum, sed quercus folia propterea decerpserunt iidem, quippe quae deficiente hordeo praeberent indicium victus, antiquissimis temporibus usitati, quibus, ut Horatii (Sat. I. 3. 100.) verbis utar, „glandem atque cubilia propter — pugnant” homines.

βάλλειν. Quod attinet ad parasi et adulatoris significationem, quam v. σπερμολόγος habet, non recte a PASSOWIO s. h. v., qui μικρολόγος comparat, haec significatio explicata esse videtur e vilium rerum studio, horum hominum proprio. Cum enim σπερμολόγοι sive ὄλαιτοί proprie nominaretur genus cornicularum (Etym. magn. p. 723, 45.), quae semina, sulcis commissa vel juxta aram humi jacentia, colligunt, ab his per ludibrium denominati esse videntur parasi, qui ad ditiores hominum epulas etiam non vocati advolant iisque se ingerunt, ut frustis vescantur, ideoque ditioribus adulantur et scurras agunt.

Restat, ut conjecturam qualemcumque proponam, qui factum sit, ut Romani, quorum sacrificandi ritus simillimi fuerunt Graecorum ritibus, non integris granis, sicuti Graeci, sed mola salsa in sacrificiis uterentur. „Numa enim” (verba sunt Plinii H. N. XVIII. 2.), „instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare, atque (ut auctor est Hemina) far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset. Id uno modo consecutum *), statuendo non esse purum ad rem divinam nisi tostum.” DIONYSIUS quidem Halicarn. II. 25. refert, confarreationem jam a Romulo institutam esse, cujus de sententia Jac. RAEUARD. ad XII. Tab. p. 95. propter Plinii locum modo commemoratum recte dubitavit. Quod ab HAUBOLDO ad HEINECCI Antiqu. Roman. synt. I. 10. 2. n. affertur corruptum Catonis fragmentum, a Servio ad Virg. Aen. x. 541. servatum, quo RAEUARDI dubitationem refellat, non magnam, ne dicam nullam, probandi vim habet. Cato enim cum in Originibus referat, „Latini (SERVIUS habet *Lavius*) boves immolatos (SERV. *immolatus*), priusquam caederentur, profugisse in silvam (SERV. *Siciliam*)”, sine dubio in antiquissima tempora transfert morem suis temporibus usitatum. Boves enim ad aram adductos atque destinatos, qui mactarentur, appellavit Cato immolatos. Cf. Cic. pro Font. x. 21. consuetudo hominum immolatorum. Paul. Diac. exc. e lib. P. Fest. s. v. *in insula*. p. 82. Lind. Huic gallinae immolabantur.— Imo confirmatur quodammodo RAEUARDI sententia verbis Servii ad Virg. Ecl. VIII. 82., qui copiose narrat, quo tempore et qua ratione *virgines Vestales*, quibus molae praeparandae negotium erat, molam fecerint. Virgines vero Vestales a Numa institutas esse Tullius de re publ. II. 14. et Dionysius Halic. II. 65. sq. testantur. Varro quidem de ling. Lat. IV. 7. Tarpejam appellat virginem Vestalem, sed errasse videtur. Numa igitur deos frugibus colendos esse primus praecipit, qui idem quoque frumenti genus, quo Romani ad victum antiquissimis temporibus (Plin. H. N. XVIII. 8.) usi sunt contrito (Cato de R. R. 2.) et sine dubio cum sale commixto, etiam in sacrificiis usurpandum esse docuit eodem modo paratum, quo ad pultem, cibum Romanis usitatum illis temporibus, parari soleret. Quemadmodum certas quasdam leges diligenter observandas fuisse Vestalibus in farre torrendo et molendo copiosa SERVII ad Virgil. Ecl. VIII. 82. descriptio testatur, ita etiam in sale ad sacrificium apparando magnam diligentiam iisdem sacerdotibus a Numa praescriptam esse a Nonio 3, 197. et Festo sub v. *muries* docemur. Nimiam vero curam, quam Numa adhibuit in sacris ritibus constituendis, Tullius I. I. defendit. Omnes, inquit, partes religionis statuit sanctissime. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatus perfacilem esse voluit: nam quae perdiscenda, quaeque observanda essent, multa constituit, sed ea sine impensa. Sic religionibus colendis operam addidit, sumptum removit.

*) Sic SILLIG.; quod fortasse defendi potest fragmento ORBILII, a PRISCIANO VIII, 791. PUTSCH. (p. 368. KREHL.) servato. — A Plinio vero v. *consequi* passiva significatione usurpatum esse dubito. — Scribendum fortasse: *consecutus est*. — Similiter apud Cic. de re publ. II. 33. *consecutus est* editores correxerunt, scribentes: *consecutum est*.

IMPRIMATUR hoc programma ea lege, ut, quum primum typis excusum fuerit, quinque ejus exempla collegio explorandis libris constituto tradantur.

DORPATI Liv. die XVIII. mensis Maji MDCCCXXXIV.

(L. S.)

Censor FRIDERICUS ERDMANN.

In diesem Jahre werden die öffentlichen Schulfeierlichkeiten folgender Gestalt vor sich gehen. Im Gymnasium, das durch Versetzung nach Odesa einen seiner wissenschaftl. Lehrer, Herrn Rath Knorre, und durch Versetzung nach Petrosawodsk den Oberlehrer der russischen Sprache und Litteratur, Herrn Wärnhoff, verlor, und für den ersten an Herrn Candidaten Carl Albert Kurzenbaum, für den zweiten an dem bisherigen Oberlehrer des ersten St. Petersburgschen Gymnasiums, Herrn Wassil Kusmin, neue Mitarbeiter gewonnen hat, wird die öffentliche Prüfung am 26. Junius, Vormittags von 8 bis 12 Uhr und Nachmittags von 3 bis 5 Uhr, stattfinden. Die Gegenstände werden seyn:

In **Prima**: Religion, Herr Oberlehrer, Consistorialrath und Ritter Dr. Grave. — Lateinisch, Herr Oberlehrer Laurenty. — Russisch, Herr Rath Swätnoi. — Griechisch, Herr Oberlehrer Dr. Sverdsjß.

In **Secunda**: Litterär-geschichte, Herr Oberlehrer, Collegienrath Starke. — Lateinisch, der wissenschaftl. Lehrer, Herr Kurzenbaum. — Stereometrie, Herr Oberlehrer Dr. Deeters. — Russische Geschichte, Herr Oberlehrer Kusmin.

In **Tertia**: Griechisch, Herr Oberlehrer Dr. Sverdsjß. — Geschichte, Herr Oberlehrer Laurenty. — Geometrie, Herr Oberlehrer Dr. Deeters. — Geographie in russischer Sprache, Herr Rath Swätnoi.

In **Quarta**: Religion, Herr Oberlehrer, Pastor Taubenheim. — Deutsche Sprache, Herr Coll.-Rath Starke. — Geschichte, der wissenschaftl. Lehrer, Herr Rath Kühn. — Lateinisch, Herr Kurzenbaum.

In **Quinta**: Russisch, Herr Rath Swätnoi. — Geographie, Herr Kurzenbaum. — Kopfrechnen, Herr Dr. Deeters.

Am folgenden Tage, den 27. Junius, Vormittags um 10 Uhr, werden, nachdem schon zu Weihnachten vor. Jahres fünf Schüler dieser Anstalt zu den Universitätsstudien abgegangen, acht Schüler der ersten Classe zur Universität entlassen, und die Handlung durch einen Vortrag des wissenschaftl. Lehrers, Herrn Kurzenbaum, über den Einfluß, welchen der Geist unserer Zeit auf die Gymnasialbildung des Jünglings übt, eröffnet werden. Nach demselben treten von den Abiturienten folgende auf:

Robert Dünchner, aus Riga, 18 Jahr alt, der Rechte Beflissener, spricht deutsch zum Lobe unsers Dinastrones.

Eduard Berg, aus Livland, 18 Jahr alt, Mediciner, giebt in lateinischer Sprache ein kurzes Andenken an die Herrschaft des deutschen Ritterordens in Preussen und Livland.

Georg Schüfeldt, aus Riga, 19 Jahr alt, Mediciner, hält in russischer Sprache eine Gedächtnisrede auf Kaiser Alexander den Geseigneten.

Wilhelm Schwartz, aus Riga, 18 Jahr alt, Philolog, stellt griechisch den Ursprung des Drama's bei den Griechen dar.

Ludwig Grave, aus Riga, 17 Jahr alt, Mediciner, spricht deutsch über den Werth der Jugendfreundschaften.

Julius Kuchzinsky, aus Riga, 19 Jahr alt, Jurist, schildert lateinisch die Regierung Jaroslaw's und den Zustand Rußlands unter ihm, mit Hinsicht auf das übrige Europa.

Die Namen der übrigen Abgehenden sind:

Eduard v. Huhn, aus Riga, 19 Jahr alt, Jurist.

Julius Wilde, aus Riga, 19 Jahr alt, Mediciner.

Hierauf wird der Gouvernements-Schulendirector das Wort nehmen, den Abgehenden ihre Zeugnisse der Reise überreichen und sie mit guten Wünschen für den fernern Fortgang ihrer gelehrten Bildung entlassen, auch die Versetzungen in höhere Classen bekannt machen. Zum Schlusse wird der Primaner Ludwig Mercklin, Namens seiner Mitschüler, von den Abgehenden Abschied nehmen, und der geehrten Versammlung für die geschenkte Theilnahme ehrerbietigst Dank sagen.

In der Domschule wird die öffentliche Prüfung am 2. Julius, von Morgens 9 Uhr an, in folgender Ordnung gehalten werden:

In **Prima**: Religion, der wissenschaftl. Lehrer, Herr Möller. — Russische Sprache, der Lehrer, Herr Rath und Ritter Lysarch gen. Rönigk. — Latein, der wissenschaftl. Lehrer, Herr Käverling. — Physik, Herr Inspector, Rath Schidun. — Griechisch, Herr Käverling.

In **Secunda**: Deutsche Sprache, Herr Rath Hartmann. — Geschichte, Herr Möller. — Geometrie, Herr Inspector Rath Schidun.

In **Tertia**: Naturgeschichte, Herr Rath Hartmann. — Geographie, Herr Möller.

In jeder Classe wird die Prüfung mit einer Declamirübung geschlossen, worauf die Censurzeugnisse öffentlich verlesen und den Schülern ausgetheilt, auch die Versetzungen bekannt gemacht werden. —

Das Examen in der zweiten Kreisschule wird am 3. Julius, Vormittags von 9 Uhr an, in folgender Art gehalten werden:

Religion, in allen drey Classen, Herr Inspector, Rath Voigt.

In der Handelsclasse: Englisch, Herr Rath Röse. — Russisch, Herr Rath Meshenzow.

In der obern Classe: Geometrie, Herr Inspector, Rath Voigt. — Naturgeschichte, Herr Rath Röse. — Vaterländische Geographie, Herr Coll.=Secr. Schwech.

In der untern Classe: Geschichte, Herr Coll.=Secr. Schwech. — Russisch, Herr Rath Meshenzow.

Zum Schlusse werden die Censuren verlesen, die Zeugnisse ausgetheilt und die Versetzungen bekannt gemacht.

Am Vormittage des 4. Julius, von 9 Uhr an, wird die öffentliche Prüfung in der russischen Kreisschule oder dem Catharinäum Statt haben, und zwar:

In beiden Classen: Religion nach dem griechischen Bekenntnisse, der Priester der St. Peter=Pauls Kathedrale, Herr Theodor Verešky, welcher interimistisch diesen Unterricht im Catharinäum erteilt; nach dem lutherischen Lehrbegriffe, Herr Coll.=Secr. Berner. — Geographie, Herr Rath Pawlowšky.

In der obern Classe: Russische Sprache, Herr Inspector, Rath und Ritter Tweritinow. — Deutsche Sprache, Herr Coll.=Secr. Berner. — Geometrie: Herr Rath Pawlowšky.

In der untern Classe: Weltgeschichte, Herr Rath Tweritinow. — Rechnen (mit Hinzuziehung der ersten Classe), Herr Rath Pawlowšky.

Am Schlusse werden die Censurzeugnisse verlesen und vertheilt.

Se. Excellenz, der Herr Kriegsgouverneur von Riga, Generalgouverneur von Liv-, Ehst- und Kurland, Curator des Dörptschen Lehrbezirks, Senateur, Generallieutenant und vieler hohen Orden Ritter, Baron von der Pahlen, Se. Excellenz, der Herr Civilgouverneur von Livland, wirklicher Staatsrath und hoher Orden Ritter, von Foelkersahm, Se. Hochgeborn, der Herr Vicegouverneur, Staatsrath und mehrerer Orden Ritter, Dr. von Cube, Se. Hochwohlgeborn, der Herr Delegirte der Schulcommission der Kaiserl. Universität Dorpat, Hofrath und Professor, Ritter Dr. Friedländer, sämtliche Behörden des Landes und der Stadt, insonderheit Ein Hochedler und Hochweiser Rath der Stadt Riga, der Hochwohlgeborne Abel, die Hohehrwürdige Geistlichkeit aller Confessionen, die Aeltern und Vormünder der Schüler, alle Freunde der Jugendbildung und Gönner des Schulwesens — werden hiedurch ehrfurchtsvoll und ehrerbietigst eingeladen, diese Schulfeierlichkeiten mit Ihrer Gegenwart hochgeneigtest und gütigst zu beehren.

TRD Raamatukogu